



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

40. Disputat quòd vita contemplatiua primo prodest sibiipsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)


bro quoque mare suis desiderijs transfretabit: nonnunquam etiam per diuersas terras transcurreret. constituitur præterea in magnis dignitatibus. Itaque talis anima huiusmodi phantasijs & stultitijs quamuis sit sola, sæpè impletur. Vnde non in secreto, & solitudine verè commoratur, licet exterius solitaria manere videatur. Neq; putanda est deuota anima contemplationi vacans omninò sola esse, quia nunquã minus sola quàm cum est sola. Istarum tamen duarum solitudinum consortia multum inter se distant: nam deuota anima & contemplatiua non est sola: quia optimam, proficuum & delectabilem possidet societatem scilicet Deum & Sanctos, cum quibus degit per sancta desideria & deuotas cogitationes. altera autem, id est inutiliter vagabunda, habet societatem valde nocuam, & in nullo ei proficuum.

DISPUTAT, QVOD CONTEMPLATIUA VITA PRIMO PROFICIT SIBI IPSI.

CAPVT XL.

**T**Ribus motiuis siue rationibus inter alias quidam admirantur, cum quis se tradit contemplationi. Prima, quia contemplatiui sibi solum prodesse videntur. Secunda, quia videntur plus velle inuestigare & sapere quàm oportet, & in altum velle volare. Tertia, quia multi seducuntur & in amentiam & melancholiam vertuntur. Ad quas tres rationes, si fortè rationes dici possunt, respondet Gerson referens sanctos Doctores, qui de hac materia copiosè

piosè subtiliter & profundè loquuntur. Et primo quòd aliquis contemplationi intendens sibi ipsi proficit multo plus atq; diuinius; ampliusq; Deo placet, quàm si vitæ actiuæ intenderet: & hoc sufficit. nihil quippe post Deum plus debeo diligere quàm meipsum, & amplius etiam quàm residuum totius mundi. Vnde debeo diligere id quod amplius placet Deo, & illam vitam plus acceptare, qua ei valeo fieri acceptior quàm modicum acquirere meriti: & forsàn volens alium lucrifacere, detrimentum mei facerem, meipsum damnans. Hic intelligenda sunt cum quis est tam liber, vt pro libito voluntatis suæ ita possit vni vitæ vacare, sicut & alteri. Et hoc dico propter habentes publica officia, & propter Prælatos & alios in dignitate constitutos, quæ eos ad intendendum operibus vitæ actiuæ obligant. Et simile est de mulieribus maritatis, quarum est pueros suos & familiam gubernare; & de illis qui suis parentibus ministrare tenentur. Si igitur isti pro tunc cum curæ vel profectui aliorum studere debent, cõtemplari vellet, ipsi seipfos seducerent: & esset hæc quædam nequam & periculosa tentatio scilicet vt esset eis delectabile semper contemplationi intendere spretis vel postpositis his, ad quæ tenentur: & ideò non solum sibiipsis, sed etiam Reipublicæ nocerent. Secus autem est de his, qui ratione officij, alijs ministrare non sunt astricti.



QVOD